



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XXI. Argumentum XVIII. ex aliis acto rationibus, petitis ex titulo
vocationis ad Christianismum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

- & absque limitatione & exceptione ulla dixit: *& ipse vivet propter me.* Vide lib. 6. a. 814.
- 228 Duodecima ratio: quidquid bene facimus, id totum Deus per gratiam Redemptoris facit ut faciamus, ut postea videbitur. Id ergo totum in laudem & gloriam Dei, ac Redemptoris nostri, facere tenemur. Utpote ad cuius laudem, & gloriam, & propter cuius amorem facere tenemur omne bonum, quod in nobis per Redemptoris gratiam operatur, uti cum Zosimo tradit Cœlestinus Papa epist. ad Gall. Episc. c. 8. dicens, *quod omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint: quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beata recordationis Papa Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius Orbis Episcopos, ait: Omnia bona ad Auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur. Quod & Apostolus docet Coloss. 3. & 1. Thessalon. 5. uti vidimus n. 222. Et Augustinus relatus n. 216. Qui etiam serm. 12. in Psal. 118. ait: Laus homini iusto quantumque proveniret, non ibi esse debet finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni; quoniam non à seipsis, sed ab illo sunt boni.*

CAPUT XXI.

Argumentum XVIII. ex aliis octo rationibus, petitis ex titulo vocationis ad Christianismum.

- 229 **R**ationes illas lib. 6. c. 8. deduximus. Ideo breviter hęc eas percurramus. Fundantur autem omnes in eo quod Christianus, omni momento quo deliberatè agit, agere debeat propter finem proprium Christiani; sicut homo, omni momento quo deliberatè agit, agere debeat propter finem proprium hominis. Finis autem proprius Christiani, Christus est, ut ibidem ex Augustino & Prospero ostensum est. Omni proinde momento Christianus agere debeat propter Christum, & dignè Evangelio, secundum illud Ephes. 1. *Ambulare dignè vocatione, quā vocati estis.* Et ad Philipp. 1. *Dignè Evangelio conversamini.* Hęc proinde sit decima-tertia ratio.
- 230 Atque ex ipsa sequitur decima-quarta, quod cum Christianus omnis sit peculium Christi, & populus acquisitionis, cuius vitam totam, & non aliqua dumtaxat momenta illius, Christus sanguine suo acquisivit, sicut vitam ipsius totam, & non solum aliqua momenta illius redemit, usque adeo desit sui juris esse, transiitque in jus Christi, ut totam vitam suam, & non solum aliqua momenta illius, in laudem, obsequium & amorem Christi debeat impendere; atque adeo omnes deliberatos actus suos in ipsum referre.
- 231 Sequitur & decima-quinta ratio, quod cum Christianus omnis sit membrum Christi, omni momento vivere debeat vitā capitis sui;

adeoque in gloriam ipsius, *crescendo in illo per omnia... in charitate,* ut ait Apostolus ad Ephes. 4.

Sequitur & decima-sexta, quod cum Christianus omnis sit Sponsa Christi, omni momento vivere debeat ex amore Christi.

Et decima-septima, quod cum Christianus omnis sit templum Dei, profanis se usibus numquam applicare possit, sed solis Dei laudibus & obsequiis, vel actionibus in laudem & obsequium Dei relatis.

Et decima-octava, quod cum Christianus omnis sit palme Christi, in ipso radicans, soli ipsi ferre debet fructum pietatis & dilectionis.

Et decima-nona, quod cum Christianus omnis sit vocatione & professione sanctus, debet in omni conversatione (in omni proinde operatione) esse sanctus, 1. Petri 1. in omni proinde operatione Dei amator, nihil nisi Deum, vel propter Deum amando. Cum in hoc sanctitas consistat.

His addi potest vigesima ratio, quod Christianus omnis sit hęc peregrinus & hospes, non habens hęc civitatem permanentem, sed futuram inquirens. Nullam proinde huius mundi creaturam amare debeat amore mansorio, sed transitorio, nullaque mundi creaturam frui, sed uti, sicut peregrinus utitur rebus diversorii sui, secundum quod Augustinus dicit tr. 40. in Joan. *Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo maris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem... Iter agis, stabulum est hac vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, leclulo, dimissurus, non permanens. Ideo Apostolus dicit: Quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Et iterum: Non respicientes quae videntur, sed quae non videntur.*

CAPUT XXII.

Argumentum XIX. ex absurdis confessoris, in qua prolapsi sunt assertam negantes obligationem.

Siquidem ex ipsis aliqui docent, propter se Samari posse pecuniam, temporales honores, sensuum voluptates, factum naturalem, &c. licitum proinde operari præcisè ad acquirendam pecuniam, temporalem honorem, edere, bibere, conjugare uti, præcisè ob delectationem cibi, potus, conjugalis usus, &c. Quod quam alienum sit à Scriptura, traditione, ratione, vide lib. præcedenti cap. 7. 8. 9. 10.

Alii (ut Escobar tr. 1. exam. 8. n. 5.) videntur num ornatum mulierum à mortali, & subinde etiam à veniali excusant, si fiat, non malo fine, sed ob naturalem fastus inclinationem.

Alii (ut Tamburinus l. 5. in Decal. c. 1. 239 art. 3. n. 21.) licitum putant filio desiderium mortis patris, ad fruendum hereditate ipsius, licitumque subito desiderium mortis prælati,